Nicolai Leoniceni Vincentini de Plinii, et plurium aliorum medicorum erroribus, Ad praestantem medicum Franciscum tottum Lucensem Nouum opus.

Efflagitasti Me quotidianis penè litteris, ut tibi sup[er] quibusdam Plinii erroribus iam pridem á me notatis responderem, quos q[ui]dam Medicus tibi, et mihi comis amicus non in autorem, sed in nouos codices impressos formulis, uel manuscriptos potius reiciendos duxerit ex alterius codicis uetustioris, quem tibi Venetiis ostendit autoritate. Meam autem de hiis responsionem non modo tu, sed et ille idem medicus Plinii defensor, ut tuae litterae mihi significabant, praecipue desiderare uidebatur. Ego uero in hunc usq[ue] distuli diem, et tuae petitioni, et illius desiderio satisfacere, quoniam non libenter patiebar me ad antiquum ludum reuocari. Vt enim uerum fatear, mihi Ludus quidam uidetur de Plinii erroribus disputare, cum sint multi alii in libris medicorum magnae nostra aetate existimationis errores, ex quibus multo plus uita periclitatur. Paucissimi enim sunt qui Plinium propter Medicinas legant, plures propter uocabula, et diuinam quod negari non potest, elocutionem. Quare circa illos magis q[ui] sua possunt apud homines nostri saeculi autoritate nocere uitae, puto á medicis laborandum, q[uam] circa plinium, qui á multis non in medicorum, aut philosophorum, sed historicorum potius, atq[ue] oratorum numero habeatur. Tu qui multa mea consilia legisti, quibus scilicet aegrotantium saluti consulo, cum ad simplicia uenio Medicamenta, scis, q[uam] multos Gentilis, Bartholomei, Montegnanae, atq[ue] aliorum recentiorum in his errrores aperiam, qui non aliunde, q[uam] ex Auicennae, ac Serapionis libris, quibus nimium nostra credit aetas habent occasionem. Quare tu francisce Totte caueto, ne tantisper in uitam pecces, quantisper aliud te impellente facio, quod minus possit generi humano prodesse. Sed tu forte illa uerba respondebis, quae medicus plinii patronus scribit circa suae praefationis initia, ueluti se excusans, q[uo] homo medicus litteratorum officium in plinii codicibus emendandis, et eodem diuino autore contra calumniantes propugnando, usurpauerit. Iustam esse ratio **[f. 36 recto]** nem inquiens, ut de natura rerum, medicinaeq[ue] effectibus plinii lib. physici quoque recognoscant. Hac [e]n[im] ratione plinii patronus se ait impulsum, ut post Georgium Merulam, et Hermolaum Barbarum, ipse quoq[ue] conatus suos in his quae ad effectus medicos pertinerent, ostenderet. Quasi uero, ut de Merula taccam, qui forsan merus grammaticus censeri possit. Hermolaus Barbarus uir omnium bonarum artium scientia Clarissimus, non satis suo sit functus officio, in ea parte, quae ad medicinam attinet in plinianis codicibus castiganda. Sed de hoc prostea uiderimus, nunc quod Instat agamus. Hanc medici plinium emendantis, atque una defendentis excusationem ego libentius acceptarem, si non in aera, ac lolio, sed in aliis haerbis, ac simplicibus medicinis magis ad usum medicinae necessariis, in quibus etiam fuit á me plinius notatus, eiusdem plinii defensionem suscepisset. Veluti in stachy, atq[ue] Balote, polio, atque Tripolio, empetro, quam alio uocabulo prassoidem Galenus uocat, Sarxiphagae, haerba Betonica, parthenio, Muralio, seu parietaria, Aristolochia, Cyclamino, Heliotropio, pentaphyllo, Lemnia. sphragide, seu sigillo lemnio, quod terram sigillatam uocant, Cistho haerba ladanifera, á cisso idest hedera diuersa, Isatide, cum glasto eadem, licet plinius hanc diuersam á glasto, illam eandem cum cistho nominis propinquitate deceptus, aliquando putauerit, Nardo Celtica, et saliunca, quas etiam male plinius diuersificauit. Si inq[am] in his, et plurimis aliis medicinis quarum frequens est usus, etiam apud nostri temporis medicos, sicuti apud eosdem de aera, ac lolio, non ad medendum, sed tantum ad euitandum, eo q[uo] in pane capitis uertigines facit, aliquando fit mentio, Medicus contra medicum pro plinio disputasset non alienam ab eius officio disputationem pro plinio tuendo subiisse iudicarem.Verum in aera tantum plinium aduersus me conatus defendere, Malorum medicorum (quod pace eius dixerim) imitatus est morem qui dum capiti mederi debent, reduuias curant. Sed neque in aera satis plinio patrocinatur, adeo ut praeuaricator uideri possit, non patronus. Stat [e]n[im] adhuc nostra repraehensio, si modo repraehensio dici debet, quae potius iusta fuit de plinio homine latino, admiratio, licet plinii patronus eam in gentem calumniam, ipse uere calumnians nominauerit. Verba mea de **[f. 36 verso]** Plinio potius admirantis, q[uam] per calumniam, ut eius patronus obicit repraehendentis, haec sunt, Super aera, et aegilope in libro de Plinii, atq[ue] aliorum medicorum erroribus inscripto. Aeram dici á graecis granum illud, quod á nostris lolium